Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/deconiugoclandes0000guil

EX BIBLIOTHECA ROMANAE EPHEMERIDIS
Analecta Ecclesiastica

N. 11

DE CONIUGIO CLANDESTINE INITO

in loco exempto a peregrinis qui in patria decreto Tridentino subiiciuntur

BREVIS DISQUISITIO

AUCTORE

GUILLELMO ARENDT e S. I.

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Los Gatos, Calif.

Constat Lib. 0,75

ROMAE 1900
Apud Analectorum Editorem

EX BIBLIOTHECA ROMANAE EPHEMERIDIS
Analecta Ecclesiastica

N. 11

DE CONIUGIO CLANDESTINE INITO

in loco exempto
a peregrinis qui in patria decreto Tridentino
subiiciuntur

BREVIS DISQUISITIO

AUCTORE

GUILLELMO ARENDT e S. I.

BIBL. TH. P. H.

Constat Lib. 0,75

ALMA COLLEGE
348.417
LIBRARY
AR33
Los Gatos, Calif.

ROMAE 1900
Apud Analectorum Editorem

52903

Quando in scholis venitur ad interpretationem Tridentini capitis *Tametsi* sess. 24 de ref. matr. mirum est quantum non discipuli modo verum etiam veterani et magistri desudent in applicanda lege illa variis locorum, domiciliorum personarumque adiunctis quae occurrere possint reque vera occurrant. Licet equidem multa, sive doctrinali sive authentica interpretatione elucidata iam fuerint firmataque consistant, cum tamen pleraeque S. Congregationis Concilii declarationes non respexerint nisi casus particulares, multa inde in ancipiti suspensa adhuc manent imo et nonnulla ipsis datis declarationibus magis implexa evaserunt. Nihilominus in animo nobis nunc non est singula nondum soluta in ista specie recensere disputationive subiicere : longus esset labor nimisque arduus : nonne nuper visus est in ipsa Congregatione Concilii Consultor quidam in una sola causa elucubrasse septuaginta paginas et amplius alioquin doctissimas (1) necdum exhausisse materiam? Satius itaque nobis erit unum illustrasse casum qui in hodierna itinerum facilitate et frequentia ad praxim quam maxime confert : quid scilicet statuendum de sponsis qui domicilium asservantes in loco ubi viget decretum *Tametsi*, transeunt per locum ab isto decreto exemptum ibique matrimonium clandestinum ineant : num invalide ?

Equidem si credamus erudito illi Consultori, causa ista iamdiu finita est : « Lex tridentina,

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* vol. VII pag. 63 sq. pag. 194 sq.

ait ipse, est localis et personalis, uti constat ex Instr. S. C. Inq. 14 dec. 1859. At obligatio illa *personalis* in discedentibus ex parochia Iuri Tridentino adscripta non cessat, nisi in loco a iure Tridentino exempto saltem *quasi-domicilium* acquisiverint aut facti sint *vagi*. Ideoque contrahentes vere in fraudem proprii parochi agunt, quamdiu conditiones ipso iure statutas ad obtinendam immunitatem ab illa obligatione personali non impleverint. Quae sententia cum a S. Congr. Conc. et a S. Congr. Inq. in compluribus declarationibus nullitatis matrimonii fuerit adoptata, ita certa evasit, ut contraria omnem probabilitatem amiserit. Cf. Gasparri, de matr. tom. II. n. 985 sq. Quare collectio illa doctorum quae in favorem alicuius communis (vel communioris) sententiae contrariae allegatur, sane est insigne monumentum eruditionis P. Ballerini, Editorum Act. S. Sedis..... at nunc rebus antiquatis est adnumeranda (1) ».

Non desunt tamen alii qui hodie etiam arbitrantur litem hisce argumentis non esse adeo finitam ut prudenter dubitare non liceat huiusmodi matrimonia esse quandoque valida, si nempe constiterit contrahentes nullatenus in fraudem legis in loco exempto nuptias inivisse. Ita v. g. P. Ian. Bucceroni *Inst. mor. edit. 1898, II, pag. 375*: « Imo communior sententia tenet validum etiam esse matrimonium eorum qui habentes domicilium vel quasi domicilium in loco ubi Trident. viget, veniunt in alium locum ubi Trident. non viget, sine intentione quidem acquirendi domicilium vel quasi domicilium at simul sine intentione clandestine contrahendi, si deinde ibidem clandestine contrahant. Contrariae tamen videntur plures S. C. decisiones. » Conveniunt in hunc sensum dubii

(1) Votum cit. n. 57. *Anal.* l. c. pag. 196.

rationabilis et alii graves doctores hodierni uti P. Lehmkuhl *edit. 8. II, 780 Reg. 1, 5*; P. Génicot edit. 2, ann. 1898. P. Aertnys qui l. VI. n. 608 edit. 4., hanc ipsam opinionem *veriorem* etiam nedum communiorem appellat. Hisce omnibus iam ab anno 1883 in altera Summulae editione *III, 327 (13)* praeiverat doctissimus ille Iosephus D'Annibale paucos post annos S. C. Inq. Assessor et tandem S. R. E. Cardinalis deque eo infra sermo recurret. Revera praeiudicium aliud etiam non leve in hac quaestione favet iis qui adhuc dubitari posse censent. Nimirum Instructio illa S. Officii ex qua tota vis derivatur adversi argumenti data fuit 14 decembr. an. 1859 neque Ballerinium latuit qui eam refert in alia quaestione paulo supra in suis adversariis. (Op. mor. vol. VI pag. 614 edit. 2.). Si autem adeo evidenter finiebatur lis per hanc Supremae declarationem, quomodo fieri potuit ut iam ab anno 1866 in tot successivis editionibus Romae cusis Ballerinius iterum atque iterum suam propugnaret sententiam? Imo mirabilius quid dicam: directores *Actorum S. Sedis* (1) dum in notula vol. II pag. 398 ann. 1866 oppositam visi fuerant patrocinari sententiam, anno 1873 in vol. VII pag. 557 Ballerinianam utraque manu subscribendam assumunt ac validiori etiam calamo confirmant atque propugnant. Porro si tot SS. CC. decisiones contrariae vere exstitissent, quomodo eas ne nominaverint quidem viri illi qui toti erant in suis ephemeridibus, in huiusmodi documentis revolvendis atque evulgandis?

Invenienda itaque est ratio forte conciliandi aut saltem explicandi adeo contraria iudicia. Quo in negotio absit a me ut iudex sedere praetendam

(1) Istorum praecipuus erat Petrus Avanzini, eximius Iurisconsultus ac theologus.

partes inter tantae auctoritatis tantaeque doctrinae; at rationes cribrare, motiva pensare cum debita reverentia et modestia cuique licet: porro id unum nunc volo. Quem in finem tribus distinctis paragraphis inquirendum venit 1) qua ratione lex cap. *Tametsi, per se inspecta*, personalis et localis dici debeat; 2) quid decreta Urbani VIII. ei addiderint; 3) qua congrua ratione valeant inde explicari SS. CC. decisiones quae opinionem recentiorum firmasse asseruntur.

I.

Qua ratione Lex Tridentina de matrimoniis clandestinis per se solam localis et personalis dicenda sit.

Primo quidem advertendum est quod omnis lex aliquo vero sensu personalis (1) est omnisque lex si humana ac particularis sit, aliquo vero sensu localis est: sane omnis legis obligatio fundatur in superioritate personae in personam vel titulo naturae, uti in lege divina, vel titulo muneris auctoritativi legitime collati, uti contingit in lege humana: omnis itaque lex est ligamen morale *personae* liberae impositum a superiore, ideoque *personalis* est. Praeterea cum omnis lex humana particularis non possit obligare nisi subditos superioris particularis a quo ipsa emanavit, cumque huiusmodi particularia regimina territorio definiantur neque extra ipsorum limites exerceri

(1) Aliter etiam lex praesertim civilis *personalis* est, quae de statu personarum decernit; in oppositione ad legem *realem* quae circa *immobilia* versatur atque ad *mixtam* quae *actuum* formam etc. definit. Sed ista divisio desumitur ex parte *obiecti*, dum nos in textu *obligationem* respeximus. Quamvis et de legibus quae *personales*, vel *reales* vel *mixtae* sunt illo sensu quaeri etiam possit, num personales an locales sint nostro sensu: huic porro quaesito respondet Ios. D'Annibale *Summ. Edit. 2, I. 204.* Cf. Voet. *I-IV. P. 2, n. 4.*

valeant (1), omnis lex ita particularis territorialis est sive localis. Atvero cum quaedam obligationes adeo personales sint ut personam extra territorium vagantem sequantur, aliae vero ita personales ut extra territorium eam non sequantur: illae prae his *personales*, hae vero prae illis *locales* exclusive dictae sunt.

Nunc si quaeratur quales leges sint ita personales qualesque eo sensu locales, sufficiat advertisse legem esse localem ratione limitatae potestatis a qua emanavit: idcirco 1) potestas divina quam ministerialiter exercent praepositi Ecclesiae in suos quisque subditos, *ratione sui* localis esse nequit: exercetur enim in foro Dei, ministerio ordinario: forum autem Dei omnem locum amplectitur ministeriumque eius ordinario munere collatum si aliquo territorio limitatur ideo limitatur quia restrictum numerum subditorum habet ex dioecesum determinatione a S. Pontifice constituta; non tamen inde territorio ita restringitur ut extra ipsum exerceri in illos determinatos subditos non valeat: ratione sui sane exerceri valet etsi non valeat *ratione potestatis humanae* contentiosae vel aliter territorio limitatae quam secum exercendam forte habet.

Idcirco 2) si quae datur potestas humana nullo subditorum numero restricta sed universalis, et ipsa localis esse nequit sed personalis est ratione sui. Porro huiusmodi est potestas legifera Romani Pontificis catholicaeque Ecclesiae.

Attamen cum conditio necessaria ut lex obliget, sit eius promulgatio, lex ab ista potestate humana universali edita non obligabit omnes nisi omnibus fuerit promulgata. Promulgata autem aliquibus atque aliis non promulgata poterit vel personaliter vel localiter obligare illos

(1) Suar. de leg. l. 3, c. 32, 33.

ipsos quibus promulgata fuit. Si enim ratio sive motivum restrictae promulgationis fuerit personarum subditarum conditio propria, lex personaliter eas obligabit: v. g. leges quae regulares ab Episcopis exemptos spectant; legislatio impedimenti consanguinitatis pro Indis statuta. Si vero ratio restringendi promulgationem fuerit conditioni ipsorum subditorum extranea, lex localiter tantum obligabit eos quibus promulgata fuit: secus irrationabilis esset et iniqua, quippe quae sub iisdem extrinsecis adiunctis quosdam ligatos quosdam vero solutos subditos retineret. Ita localiter statutae fuerunt leges sive privilegia (1) Bullae Cruciatae pro antiquis Hispaniae dominiis (2): vel alia indulta quadragesimali abstinentiae derogantia, ubi v. g. pisces deficiunt, vel ubi *influentia* grassatur.

Ista quidem absolute valent de quavis lege simpliciter obligante vel prohibente quae sua promulgatione subditos solo obligationis moralis nexu afficit vel eos ab ipso absolvit. De lege vero non obligante tantum sed etiam *irritante* quaedam alia animadvertenda sunt ut intelligatur ratio qua personalis aut localis dici debeat huiusmodi lex.

Equidem scopo nostro supervacaneum est agere in praesenti de lege irritante a legislatore *particulari* lata quippe quae extra territorium certo non valet (3): sed legem spectamus quae a potestate humana universali lata fuerit, ab Ecclesia nempe catholica, uti supra diximus, vel a Romano Pontifice, pastore supremo et universali.

(1) In praesenti sane aequiparantur impositio auctoritativa obligationis quae *legis* est, atque eiusdem auctoritativa solutio quae *privilegii* est. Exempla idcirco collata hic ad rem faciunt.

(2) Resp. S. Officii 2 Iunii 1897. Anal. Eccl. V. *pag. 327.*

(3) Hoc generatim dictum valet; ceteroqui in praesenti materia « non potest episcopus lege sua inducere impedimentum irritans matrimonium ultra illa quae iure communi inducta sunt ». Ita iam Lugo *Resp. mor. I. d. 47. n. 6.*

Lex itaque actum irritans eo ipso personam subditi inhabilitat ad actum valide ponendum ; ideoque spectari potest et debet prout *inhabilitans* est deinde uti *irritans* est. Porro duplici modo suam inhabilitandi vim in personam exercere potest : vel enim 1) statim ac promulgatur personam afficit *reali inhabilitatis relatione* ad determinatum actum, puta nubendi ; id porro obtineri nequit nisi agatur de inhabilitate fundata vel in physica quadam conditione sive qualitate personae vel in aliquo alio eiusdem vinculo aut consecratione iam exstante (1): nisi enim huiusmodi reale habeatur fundamentum, quomodo actu et realiter resultare potest relatio inhabilitatis ad illum actum ? Ita lege naturali, laborans impotentia antecedente et perpetua inhabilis est ad nuptias; similiter iure ecclesiastico impubes donec pubes fiat; ordinatus in sacris, consanguinei in 4. gradu etc. inhabiles ipso facto sunt ad easdem : iure divino positivo uxore ligatus inhabilis est ad aliam ducendam.

Vel 2) lex simul obligans et irritans statim ac promulgatur in actu primo quidem *obligatione sua* omnes afficit quibus promulgatur non vero statim in actu secundo quemque eorum reddit inhabilem ; quippe caret fundamento in singulis ex quo resultet inhabilitas ista: cum enim promulgationis actus in subditis tunc aliud non inveniat nisi fundamentum subiectionis, eos sola obligatione afficere poterit actum annullatum non ponendi aut etiam actum, si forte posuerint, modo praescripto et non aliter ponendi. Quando vero persona subdita actum illum ponere attentat,

(1) Ita in publica quadam theologorum concertatione de impedimento clandestinitatis statuendo, Card. Hosius: « In tutti gli altri impedimenti fin a quell'ora costituiti erasi avuto riguardo a qualche fatto precedente per cui rispetto nascesse l'impedimento fra questa e fra quella persona : ma qui ciò non avvenire... ». Pallav. *Istoria. l. 22. c. 115.*

fundamentum reale actione sua praebet ex quo inhabilitatis relatio resultat in virtute promulgatae legis.

Nunc si lex spectetur in sua vi irritativa, constat quod vix promulgata ipsum actum directe irritare potest sive potius irritum fore decernere. Id porro duobus modis fieri potest vel *forma actui data* eaque ita praecepta ut annulletur actus absque ea positus, vel simpliciter *actu prohibito* cum apposita nullitatis clausula. Sed quocumque ex duobus fiat modo, talis irritatio *vix promulgata* nequit aliter personam afficere quam ad instar obligationis. At ubi vix subditus actum ita irritatum attentaverit, tunc eo ipso voluntatis eius consensus in actum illum elicitur irritatione affectus penitusque ad effectum inefficax evadit. In eo itaque consistit inhabilitas quae in persona subdita legis irritantis promulgationem consequitur atque est alter inhabilitandi modus paulo supra explicatus. Cf. Suar. *de leg. l.* V *c. 19. n. 4.*

Quibus rite perspectis, statim apparet legem irritantem si *primo modo* secum ferat personae inhabilitationem, esse quoad hanc omnino personalem : nam sola iam facta legis promulgatione, inhabilitas ex qualitate ipsius subditi *statim* resultat, ei cum ipsa qualitate inhaeret atque eum quocumque vagantem comitatur ; neque possibile est se subtrahere quemquam e territorio legislatoris universalis qualem esse in praesenti supponimus legis huiusce auctorem. — Si vero lex irritans altero superius relato modo personae subditae inhabilitatem inducat, eatenus personalis vel localis erit, quatenus spectata uti obligans personalis vel localis est: sane inhabilitas in solo actu subditi fundata, tunc eum in virtute promulgatae legis afficit quando actum ipse ponit: necesse igitur est vel ut lex promulgata etiam

fuerit in loco ubi actus ponitur quem lex *tunc* annullat; vel ut *obligatio* actum ita et non aliter ponendi sub irritationis clausula, adeo fuerit personalis ut subditum secuta fuerit etiam extra territorium promulgationis. Id autem, uti vidimus, locum habet vel non, prout lex intuitu personae potius quam adiunctorum loci, vel vice versa, lata ac promulgata fuit.

Haec itaque generatim statuta applicari oportet legi Capitis Tridentini *Tametsi*. Primo lex ista praecipiens est atque obligans ad formam contractus substantialem id enim aperte eruitur ex fine et tenore totius decreti: finis enim est ut abusus ex clandestine contractis nuptiis aboleantur: praescribitur ideireo matrimonii publicitas innovata lege denuntiationum, atque parochi testiumque assistentia contractui requisita; at dum denuntiationes solum praecipiuntur fieri, praesentia parochi et testium requiritur sub nullitatis clausula ideoque uti forma substantialis.

Cum autem praeceptum hoc formae substantialis adhibendae, quantumvis a legislatore universali, Concilio nempe oecumenico emanatum, reapse non toti Ecclesiae fuerit sicut cetera Tridentina decreta promulgatum sed in aliquibus parochiis tantum nequaquam vero in aliis: aequivalet legi latae a potestate quae territorio restringatur: obligatio nempe eius nequit urgere in loco ubi non fuerit promulgata atque eis quibus promulgata fuit personalis erit, sensu superius explicato, si motivum promulgationis restrictae fuerit iis personale, non vero si desumptum fuerit ex adiunctis locorum et parochiarum quae tempore Concilii sub haereticorum dominatione forte essent constitutae vel parocho carerent. Atqui hoc reapse non illud motivum fuit cur PP. Tridentini modum istum restrictae promulgationis eligerent. In discussione enim « chi propose uno

spediente, scribit Pallavicini (1), chi un altro per quelle provincie dove non ha parochiani. A che fu risposto da Francesco Blanco, spagnuolo, vescovo d'Orense, il decreto esser concepito in modo che non avrebbe obbligato se non dopo la pubblicazione fattasi nella parochia: onde non sarebbonsi per esso allacciati quei popoli fra i quali non erano parochiani». Antea autem iam narraverat idem Card. Pallavicini (2): «Diego Lainez..... avvertì che nè dagli eretici, nè da molte nazioni cattoliche ei (il decreto appartenente ai matrimonii clandestini ed a figliuoli di famiglia) sarebbe accettato: ove quindi si commetterebbono infiniti adulteri e nascerebbe confusione intorno alle successioni legittime». Atque infra n. 50 prosequitur: «Le quali diligenze (adoperate in parecchie riferite discussioni) operarono di poi e che fosse studiato più sottilmente in si gran quistione (della riforma del matrimonio) e che nel decreto si separasse la parte utile della proposta dalla dannosa **e che anche la parte approvata nella sostanza s' assettasse nella maniera con tôrre in molto il potissimo inconveniente considerato dal Lainez . . . dico lo sconcio che parea dovesse risultare in quei popoli i quali non accettassero le sinodali costituzioni**». Tandem n. 104: «In fine si disponeva che i presenti decreti avesser vigore in ciascuna parochia dopo trenta dì dal giorno della prima pubblicazione. Il che fra vari buoni effetti ne recava uno allora non osservato da tutti: e questo era l'ovviare all' inconveniente ricordato dal Lainez e da altri, cioè che fra gli eretici i quali non ubbidirebbono a quel decreto, niun matrimonio in tempo avvenire sarebbe vero e niuna progenie legittima: s' avviava, dico, a ciò perchè

(1) Istoria, l. 23, 76.
(2) Ibid. l. 22, 49, 50.

ne' loro paesi non avrebbon essi lasciato promulgare il decreto, e pertanto non sarebbesi verificata la condizione sotto la quale il concilio ordinava ch' egli obbligasse. Il che però non è riuscito a bastevol preservazione inverso di quei luoghi che possedui da cattolici allora e pertanto legati da questa legge promulgatavi solennemente, sono poi caduti in potere d'eretici abitatori e signori. Ma il non provveder con suoi ordini a tutti i futuri accidenti non è colpa degli uomini, è natura dell'uomo ».

Ex quibus omnibus evidenter apparet mentem Concilii fuisse quidem ut decretum istud quantum fieri posset, omnes fideles obligaret; cum autem haec promulgandae obligationis universalitas secum gravissima tulisset incommoda, Concilium minus malum elegit tolerare restrictae promulgationis ut maiora illa mala evitarentur. Minus istud malum itaque triplex erat: primum quod ex facto omissae in multis locis promulgationis deficeret pro fidelibus multis, locorum istorum incolis, legis obligatio; secundum quod ideo decretum istud legi particulariter latae de facto aequivaleret et quidem non propter personarum sed locorum adiuncta; unum discrimen huius decreti in aliquibus locis promulgati, in aliis nequaquam, cum lege aliqua particulari in eo erat quod restrictio obligationis ex parte huius legis est omnino volita a legislatore qui amplius velle nequit; ex parte vero illius decreti est potius involuntaria secundum quid, permissa et tolerata a legislatore qui voluisset ipsum ad universos extendere subditos. At ista velleitas factum reapse non impedivit, quo decretum legi particulariter latae aequivaleret. Inde porro tertium quoddam malum sequebatur quod si legislator cavere voluisset in ipso decreto, monere subditos tenebatur de ea sua voluntate: consec-

tarium nempe erat quod illi ipsi quibus decretum fuisset promulgatum, extra promulgationis locum forent ab eo exempti: huiusmodi sane exemptio, iuxta generalia de legibus principia logice sequebatur factum illud restrictae promulgationis: si enim adiuncta loci extranei valuerunt ad eximendos incolas ipsius, iniquum videtur ea non eximere peregrinos, eisque solis coniugiorum restringi libertatem. Alia tamen ex parte consectarium huiusmodi non levia videbatur inducere incommoda atque ipsis personis decreto subiectis ianuam aperire qua eius vim et finem eludere facile ipsae possent. Quae cum ita essent, PP. Tridentini quos certe consectaria illa non effugerunt, clausulas exceptorias ut ipsa evitarent, adiicere suo generali decreto noluerunt, sed, uti alias monet Pallavicinus, hanc deficientiam naturae communi legis humanae tribuendam esse censuerunt, ac novis futuris reliquerunt legibus ut remedium afferrent incommodisque obviarent. Revera, uti infra patebit, malo suis decretis occurrit Urbanus VIII.

Secundo decretum cap. *Tametsi* non solum praecipiens et obligans est ad formam substantialem contractus matrimonialis, sed etiam personas inhabilitat ad aliter contrahendum actumque aliter initum annullat: « qui aliter quam praesente parocho vel alio sacerdote, de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat ».

Quae verba, si comparentur cum aliis canonicis statutis de inhabilitate ad coniugium quae in qualitate iam exstante fundetur, evidenter ostendunt quod inhabilitatis relatio non statim ex

facto promulgationis resultat in subditis sed tunc solum quando actum ipsi modo prohibito attentant.

Ideo hoc fundamento attentati actus deficiente, inhabilitas personae actusque irritatio a Concilio sancita, in ipso promulgationis actu personas subditas non aliter afficiet quam quaevis alia obligatio negativa subditisque erit personalis ea ratione qua personalis ipsis est obligatio in prima capitis *Tametsi* parte proposita. Haec autem propter restrictae promulgationis factum subditos, uti vidimus, non sequitur extra locum decreto subiectum. Ergo neque illa comminata inhabilitatio atque irritatio.

Ita porro concludendum si solum decretum tridentinum non contra generalia de legibus principia interpretari velimus (1); atque huius interpretationis intestinata ratio a nobis exhibita non videtur esse nisi ulterior explicatio argumenti illius fundamentalis communissime a DD. allati, a Sanchezio ad Ballerinium; quod argumentum legi potest apud Ballerinium *op. mor. edit. 2, vol. VI pag. 616 n. 1187*; apud Gury. *v. II,*

(1) Verum quidem est, uti advertit in citato voto laudatus ille consultor (Anal. eccl. VII, pag. 195 n. 55) quod ex natura plane singulari capitis *Tametsi* applicatio iuris de aliis legibus *generalibus* lati est periculosa et certe non peremptoria quia generi per speciem potest derogari. Unde videretur nequidem legi particulariter latae posse aequiparari decretum huiusmodi, naturae nempe omnino singularis. — Egregie quidem: at videndum est sub quo respectu fiat aequiparatio ista: si enim ratione promulgationis eius singularis, decretum non potest de facto habere vim legis universalis, necesse est ut tribuatur ipsi vis legis particularis; porro id heic fecimus; atque aequiparationem nostram non eo usque protraximus ut quidquam detraheretur *auctoritati* legislatoris *universalis* a quo processit edictum, sed tantum continuimus eam comparationem intra limites *obligationis* quae non potest nisi promulgationem reapse factam sequi. Legitima igitur et logica est illatio nostra: secus deveniendum tandem foret ad interpretationem legis istius trid. quae supponeret *posse valere obligationem non promulgatam*: profecto lex tridentina cap. *Tametsi* non est adeo *singularis* ut sit absurda!

n. 839 (1); apud Smalzg. *l. IV. t. 3. n. 110*, atque apud Sanchez. *de matr. l. III. d. 18 n. 27-30*. Hic ultimus scribit : « Advenas contraxisse obligationem servandi id Tridentini decretum quamdiu in his partibus in quibus id obligat sunt; secus dum ad alias ubi non obligat, pervenere » (constat ex n. 27 intelligi a Sanchezio advenas sive peregrinos alio confluentes per modum transitus, dum in sua patria decreto trid. subiecta domicilium servant). Smalzgr. simpliciter appellat ad regulam generalem « qua peregrini non adstringuntur legibus suae patriae, quando extra eam versantur » et in specie ad aliam regulam *contractus regi legibus loci.* Unde evidenter praesupponunt isti doctores decretum tridentinum quamvis emanatum fuerit a legislatore universali, ratione tamen de facto restrictae promulgationis, legibus *particularibus* aequiparari de quibus valent illa duo axiomata. Recidit ergo eorum argumentum in nostrum quod praesuppositionem eorum explicat. Similiter de inhabilitatione, Sanchez l. c. ait: « quando inhabilitas est constituta absolute et simpliciter (et Smalzgr. addit : et in individuo per sententiam iudicis) sequitur personam quocumque euntem ; secus quando est constituta per modum legis : sicut enim lex illa non obligat in illis locis ita inhabilitas et annullatio actus non obligat ibi nec sequitur personam nisi dum est in locis in quibus ea lex vim obligandi habet ». Atque ita pergit : « obligatio orta ex vi huius decreti est ex iis effectibus qui in fieri et conservari pendent a suis causis : obligatio enim a lege orta durat manente lege et ea cessante cessat : unde sicut lumen a lucerna productum in aere, extinguitur remoto aere extra lucernae sphaeram, ita haec obligatio exspirat migrante

(1) In edit. 13. a D. Palmieri reformata *II, 651, (80).*

persona extra territorium in quo urget hoc decretum ». Unde tandem : « non ligatur (*aliquis*) lege ecclesiastica in loco ubi ex voluntate ac dispositione eiusdem Ecclesiae non habet robur eadem lex, uti contingit in locis ubi... non publicata fuit ». Ista porro sunt ipsissima illa argumenta a nobis evoluta in distinctione modi inhabilitatis.

Ita profecto legem tridentinam interpretamur non *contra sed iuxta* generalia de legibus principia, quibus lex praedicta subiicitur ratione restrictae promulgationis, uti iam diximus. Quare ratio ab hac interpretatione recedendi non tam in illis generalibus principiis reperiri potest, quam in ipso *supposito*, quod nempe *possint* illa principia legi tridentinae applicari. Atque haec est ratio cur doctores quidam hodie dissenserint, uti ab initio monuimus. Veteres pauci e contra quos refert Sanch. *l. c. n. 27*, ideo oppositae accesserunt opinioni quia primi illius generalis principii de peregrinis veritatem diffitebantur. Unde Sanchez uti probabiliorem tantum regulam ipsam affert. *l. c. disp. 18 n. 17. 18.* At in praesenti nemo non assentit huic regulae de peregrinis, paucis annexis exceptionibus, uti videre est in compendiis classicis v. g. Instit. Bucceroni *l. 199.*

Occasio itaque ex qua primum recentiores in aliam istam dissentiendi viam deducti fuere, desumenda esse videtur ab interpretatione instr. illius S. Cong. Inqu. 14 dec. 1859. Haec enim sic sonat : « Lex Tridentina de clandestinis matrimoniis debet sane in unaquaque paroecia promulgari iuxta illius censuram, sed facta semel promulgatione eiusque observantia permanente, lex territorium afficit et adaequate loquendo, localem et personalem esse in confesso est apud omnes : quatenus localis afficit territorium eosque qui ibi matrimonio iungendi sunt obligat ; qua-

tenus vero personalis est, obligat qui domicilium vel quasi domicilium habentes in loco ubi Tridentinum decretum promulgatum est et viget, in altero ubi illud non viget contrahere **vellent** ». *Lucii Ferraris supplementum a I. Bucceroni editum pg. 592.*

Atvero legenti haec verba praeiudicium facile occurrit quod abs re in quaestione nostra afferantur : omittamus quod scopus instructionis videatur esse omnino diversus ab ea ; sed quidquid de hoc sit, nonne heic dicitur eo sensu personalis esse lex tridentina qui *in confesso est apud omnes?*

Iamvero et ipsi adversarii conveniunt sententiam suae oppositam usque ad sua tempora communissime fuisse retentam. Utquid igitur S. Congregatio ad unanimem omnium confessionem appellaret ut interpretationem sanciret huic contrariam !

Lex ergo Tridentina eo sensu potius asseritur esse personalis quo sensu omnes *post declarationem Urbani VIII*, conveniunt eam sequi extra territorium personam ipsi subiectam *quae vellet eam effugere.* Revera ita et non aliter mentem suam explicare videtur ipsa Instructio in ultimis verbis allegatis si paulo sedulius ipsa perpendantur.

Iamvero ex analysi superius a nobis instituta decreti Tridentini exque eius mente a Pallavicino nobis explicata, satis evidenter apparet declarationem Urbanam ei tamquam *remedium accessisse* quo obviaretur illi tertio incommodo quod ex facto impeditae in multis locis promulgationis sequebatur praeter Concilii mentem. Sed declaratio *huiusmodi* nequibat omnino esse *comprehensiva* tantummodo, verum *extensiva.* Si igitur obligatio legis Tridentinae alicui personae promulgatae eam extra domicilium in locum ab ipsa immunem persequatur, id non ipsi legi tribuendum

contra principia generalia sed potius ex recta decretorum Urbani interpretatione et *tantum quantum ipsa sinunt*, intelligendum esse videtur.

Atqui Urbani responsa supposito nituntur quod in duobus primis allatis casibus fraus intercesserit contra legem (1). Distinctius idcirco exponendum nunc venit quid proprie sit subditum quempiam in fraudem legis operari.

II.

Qua ratione responsa Urbani VIII. Legem Tridentinam de matrimonio clandestino extensiva interpretatione firmaverint.

Generatim loquendo, fraudare est aliquem re vel iure sibi debito privare, dolo et fallaciis. D'Annibale *Summ. 2ª ed. I. 173; ex L. 5 de dol. pact.* Verum quandoquidem iam constat, uti scite advertit laudatus Consultor S. C. C. in citato voto (2), responsa Urbani non annullare matrimonium in casibus propositis, in *poenam mali*

(1) Opportunum erit illa Urbani VIII. decreta heic transcripta referre ex Gury. ed. 13. II. 651: « Archiepiscopus Coloniensis proposuerat tria dubia: 1. An incolae loci, in quo Conc. Trid. quoad matrimonia est promulgatum, transeuntes per locum in quo dictum Conc. non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine parocho et testibus contrahere?

2. Quid si eo praedicti incolae solo animo sine parocho et testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutantes?

3. Quid si idem incolae eo transferant *habitationem* eo solo animo ut contrahant sine parocho et testibus?

Respondit S. C. C. 5 sept. 1626:

Ad 1.um et 2.um non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes et transeuntes cum fraude.

Ad 3.um Si domicilium vere transferatur matrimonium esse validum.

Quod responsum Urbanus VIII probavit per breve 14 Aug. 1627 ».

(2) *Analecta Eccl.* VII. pag. 196 n. 57. Ceterum idem iam a multis annis notatum fuerat ab iis ipsis qui oppositam tenent sententiam; conferatur d'Annibale III 327 (43).

doli et fraudis in parochum, quippe quae a S. Congr. applicata fuere iis etiam peregrinis decreto subiectis qui bona fide in loco exempto clandestine contraxerant; hoc generali sensu neglecto, speciatim inquirimus quomodo *legi fraus* fieri dicatur etiam absque mala fide sive consilio fraudulento (D'Annib. l. c. in nota). Qua de re Bonifacius VIII. *in c. 88 de R. I. in 6 : certum est, ait, quod is committit in legem qui legis verbum complectens, contra legis nititur voluntatem.* Porro *voluntas legis* ea est quae aliqua ratione, vel explicite, vel implicite in ipsa legis promulgatione exprimatur secus enim quantumvis legislatoris fuerit propositum sive beneplacitum, omni tamen obligandi vi destituetur ideoque nullo vero sensu *legis* voluntas poterit appellari. « Ut fraus legi facta esse dicatur, ait D'Annibale l. c., semper necesse est legem exstare quae *id quod fieri vult vetet saltem implicite* ».

Quare priora regulae illius verba illum significant qui, ut ait Reiff. *in h. l. n. 3., nuda verba* legis observat, non tamen veram eius sententiam ac mentem. Porro quis potest vel *opere*, solum, vel *opere* et *intentione* contra legis eo modo niti voluntatem: si intentione et opere, mala fide et dolo malo fraudem in legem admittit; si opere tantum, bona sua fide a peccato quidem formali immunis erit non tamen a materiali et si egerit in fraudem legis quae formam actus substantialem sub irritationis clausula praecipiat, nihil egit.

Hic tamen difficultas occurrit quomodo contra veram legis sententiam ac mentem operetur ille qui verborum significationi facto suo adhaeret: nonne enim sententia legis ac mens ea est quae legis verbis exprimitur? — Verum distinguere oportet legis comprehensionem ab eius extensione ad varia obiecta quemadmodum dialectici ter-

minorum iudicii comprehensionem atque extensionem distinguunt: deinde in utraque iterum oportet distinguere id quod verba exprimunt sumpta tantum prouti sonant iuxta communem loquendi usum; atque id quod exprimunt in illis adiunctis in quibus a Lege proferuntur, spectato fine legis, atque legislatoris voluntate tam ex dictamine rectae rationis quam ex aliis eius legibus intellecta. Reiffenst. l. c. n. 9. *Sententia* itaque et *mens* legis non illa sed haec est verborum significatio.

Quo posito contingere potest ut actus *nudis verbis* significatus quibusdam in adiunctis licitus aut validus esse atque extra legis ambitum consistere videatur, neutiquam tamen si verum legis *sententiam ac mentem* retineamus. Qui igitur, salvis verbis legis sententiam eius circumvenit is *in fraudem legis* agit; *contra legem* vero simpliciter facit qui id facit quod ipsa expressis ac nudis verbis prohibet. Cf., Reiff. *l. c. n. 3. 4.* qui nonnullis exemplis a iure desumptis notionem istam ulterius illustrat.

Hisce enucleatis venire licet ad casum nostrum. Et primo quidem si lex capitis *Tametsi per se solam* perpenderetur, opinarer potius, iuxta superius explicata, peregrinum a propriis legibus legi subiectis in locum ab ea exemptum transeuntem ibique clandestine nubentem, in fraudem illius legis non operari: reapse enim, uti vidimus, etiamsi voluntas *legislatoris* eiusque beneplacitum potuerit esse ut peregrinus iste hisce in adiunctis invalide nuberet, tamen id *legis* voluntas haud fuit. Sane *legis* voluntas est quae promulgatur et promulgata verba debent intelligi ad mentem aliarum legum vel rectae rationis vel etiam eiusd. legislatoris, uti paulo ante dicebamus. Atqui lex illa ratione suae restrictae promulgationis vim tantummodo nacta est legis par-

ticulariter latae quam effugere extra eius territorium quemque licet. Id porro legislatorem non latuit, a quo regula iam erat probata, *extra territorium, ius dicenti non pareri impune.* Cf. Suar. *de leg. l. 3. c. 32, n. 3. 4.* Marian. De Luca, *Praelect. I. C. I. pag. 309 sq.* Si ergo ius hoc in praesenti corrigere ipse voluisset sive exceptionem sancire, **monere expresse de hac sua voluntate in ipsa lege tenebatur.** Id autem non monuit. Iniquum ergo atque illegitimum est et fere dicerem, contra regulam 28 Iuris in 6°, huiusmodi *voluntatis legis* interpretationem *quae a iure communi exorbitat, ad consequentiam trahere* (1). Spectata ergo sola lege Cap. *Tametsi,* in fraudem legis non operaretur huiusmodi peregrinus: *nemo enim in fraudem agit qui suo iure utitur, L. 156. D. R. I. c. 31 de elect.*

Haec conclusio confirmari potest ex decisionibus S. Congr. ante ann. 1627 emanatis. Quarum una a Pyrro Corrado *l. VIII, c. IV n. 26* refertur 7ae febr. 1602. In ea validum declaratum fuit matr. celebratum extra locum propriae habitationis et in loco exempto, absque solemnitatibus, dum causa discessus fuit ad evitandas inimicitias et obstacula parentum. Lacroix l. VI. p. III. n. 712 et 752 aliam affert 17 Maii 1600 ex Barbosa in collect. ad hoc cap. Trid. n. 12; at bene potest explicari hoc responsum ex novo suscepto quasi domicilio per animum in illo loco commorandi. Duas alias decisiones huiusmodi memorat etiam L. Ferraris v. *Impedimenta matr. art. II. num. 110, 111.*

Verumtamen quod Tridentini PP. non monuerant id *extensive* declarando atque interpretando eorum legem monuit pontificiaque auctoritate sancivit Urbanus VIII. in triplici illo res-

(1) Cf. D'Annibale, *2 ed. Summ. III. 327.*

sponso S. C. C., 14 august. 1627 probato per breve ad Archiep. Colonienseni ; (De Lugo. Resp. mor. l. 1. d. 36) ; atque iterum Bened. XIV constit. *Paucis 19 Mart. 1758*, quae refertur integra a Gasparri op. cit. t. II. ad calc. allegatum VII. Et quidem in responso ad secundum Archiepiscopi Colon. quaesitum, decernitur invalidum matrimonium in loco exempto ab illo peregrino clandestine initum, si *solo animo* clandestine nubendi eo se contulerit, habitatione in patria servata.

Quo responso casus deciditur quo quis *intentione operantis*, sive ex bona sive ex mala fide haec oriatur, legi tridentinae se subtrahere nititur. Iste porro, nisi accessisset ista extensiva declaratio *cap. Tametsi* ab Urbano data, ad summum sola intentione legis iugum reiiciente peccasset, quemadmodum v. g. ille qui in die ieiunii laborat praeter suam conditionem ne ieiunet (D'Annibale, I, 173. 57) ; atque eo solo sensu dici potuisset *in fraudem* legis operari : nam quemadmodum iste labor qui in se malus aut prohibitus haud est, ex malae illius voluntatis exclusivo motivo susceptus malus evadit : ita exire ex proprio territorio in locum exemptum, res mala in se non fuisset, mala tamen evaderet ex motivo exclusivo voluntatis rebellis in legem. At quamvis illicitum, non tamen invalidum fuisset ita contractum coniugium. Si ergo invalidum ipsum nihilominus declarat Urbanus, id non fecit nisi *extensiva* interpretatione legis irritantis a Tridentino sancitae. Cf. D'Annibale, *III. 327. I. 205* (47).

Difficultas maior a DD. reperta est in intelligenda responsione eadem Urbani ad primum quaesitum : nam dum in supplici Archiepiscopi libello tria quaesita, distincta seiunctaque exponuntur, in *responsione una* duo priora quaesita

ab Urbano complectuntur. Atque dissensus in eo praecise est quod antiquiores fere omnes arbitrati sunt Pontificem primo loco propositum quaesitum non semper et quoties occurrerit sed tunc solum quando cum fraude illa nunc explicata acciderit, invaliditatis declaratione solvisse ; recentiores vero aliqui censuerunt in ipso primo casu, in solo scilicet transitu a loco tridentinae legi subiecto ad locum immunem atque in nuptiis ibi clandestine initis, obiectivam reperiendam esse *fraudem* contra legem. Antiquiores idcirco iudicarunt Urbanum ideo coniunxisse duo priora quaesita quia primum quaesitum cum secundo *identificavit* i. e. primum restrinxit ad secundum ; recentiores vero *quaesita* quidem distincta servanda esse putarunt prout proponebantur, fraudem tamen quae in uno *responso* exprimitur, paulo aliter explicandam esse in secundo, aliter in primo quaesito (1) ; cum tamen ipsa sit in utroque ratio invaliditatis, ideo unico invaliditatis responso, unicoque allegato fraudis motivo, Urbanum utrique coniunctim satisfecisse quaesito.

Interpretationi antiquiorum accessit etiam Bened. XIV sive Prosper Lambertinus in *instructione 33, n. 9*, et aliqua ratione in opere *de Synodo l. 12, c. 4, n. 9. 10.* In epistola tamen illa 19 mart. 1758 ad archiep. Goanum superius citata Summus iste Pontifex non videtur in unum prae altero sensum propendere nec quidquam aliud facit quam antiquiorem Sanchezii et aliorum opinionem (2) historice referre, posteriora Ur-

(1) In primo fraus verificatur in solo facto ; in secundo in facto et in intentione ; ita isti recentiores et cum eis etiam hodiernus Theologus S. Poenitentiariae, D. Palmieri : « verba *cum fraude* in decreto Urbani factum tantum significant... (in primo quaesito) Congregatio Concilii vidit fraudem etsi de *intentione* ne verbum quidem foret ». Gury. 13. edit. reformata II, 651 (80).

(2) Scilicet discedentem in locum exemptum etiam animo legem effugiendi, *uti iure suo.*

bani decreta et S Congregationis Concilii praxim. Sedulo tamen notandum est quod omnes doctores quos Benedictus ibi tamquam Sanchezio eiusque asseclis oppositos refert, floruerunt post 1627 quo anno sua edidit responsa Urbanus; idcirco censeri possunt a sententia opposita fuisse abducti, non tam intrinsecis rationibus quibus argumenta solverent adversa, quam potius nova extensiva declaratione ab Urbano authentice data. Qua de re legatur Schmalzgrueber *l. IV, t. 3, n. 111-113.*

Atvero displicet in recentiorum explicatione quod *fraudem aequivoce* usurpatam ab Urbano fuisse supponere videantur: alio nempe sensu pro primo quaesito, alio pro secundo; in antiquiorum autem interpretatione, quod fraudis notionem, unicam utique pro primo et secundo quaesito adhibitam, restringant potius et principalius ad fraudem et dolum in parochum quam ad fraudem *in legem* admissam. Idque ideo displicet quia ex una parte aequivoca illa usurpatio congrua haud est nedum necessaria; ex altera parte ratio *incaliditatis* coniugii ne in secundo quaesito quidem est illa *operantis intentio* effugiendi parochi proprii praesentiam ac testimonium, quae illiceitatis ratio tantum est, sed vere est *fraus in legem tridentinam ab Urbano VIII. extensam.*

Iam enim *fraus in legem* verificari potest sola intentione *operis* quin adfuerit intentio *operantis.* Propterea Urbanus appellavit ad unam eamdemque fraudem ut utrumque quaesitum unico responso solveret; discrimen enim intentionis *operantis*, quo unum quaesitum ab altero secernebatur in supplici libello, ad solutionem haud conferebat ac merito neglectum a Pontifice est.

At enimvero etiamsi recentioribus concedamus matrimonium, iuxta primum Archiepiscopi quaesitum contractum, *tunc*, propter extensivam Ur-

bani declarationem, esse invalidum, *quando* ex intentione *operis* fraudem implicat contra legem : num tamen necesse omnino est concedere etiam ipsis, *ideo* istiusmodi coniugium esse invalidum, *quia* semper, toties quoties ita a peregrino contrahitur, *non potest non* implicare ex intentione *operis*, fraudem contra legem ? — Revera, ut candide sensa nostra promamus, idipsum est quod dubium adhuc et anceps saltem esse opinari forte licet. Recentiores sane, uti ab initio audivimus, id deducunt 1° ex eo quod S. Congr. S. Officii 14ª dec. 1859 dixerit legem tridentinam, omnibus fatentibus eo sensu esse personalem ut afficiat personam ei in patria subiectam quae velit in loco exempto nubere. — Atvero iam vidimus haec verba non posse sine absurdo trahi ad significandum legem tridentinam sequi extra promulgationis territorium illum qui per loca exempta fine omnino et exclusive alio peregrinaretur adeo ut fraus in legem ab ipso *operis* fine per positivum illum diversum finem excluderetur: id enim esse falsum, uti diximus, communissime retinuerunt DD. usque ad nostra tempora. Iamvero S. Congregatio ad unanimem omnium sensum appellat et quidem non controversum: *in comperto est*, ait ipsa.

Unum tandem addere liceat: ut fraus in casu admittatur contra legem, necesse omnino est ut constet legem adaequate intellectam adeo personalem esse ut obliget extra territorium promulgationis: si enim personalis eo sensu non est, quisquis contra eam facit extra eius territorium reapse non facit contra legis voluntatem, saltem implicite eius verbis significatam, uti supra diximus : jamvero lex tridentina rite intellecta, uti etiam diximus, ex se ita personalis non fuit : si ergo nunc personalis ita est, id ex declaratione Urbani ei accessit: At estne verisimile Urbanum

hanc fecisse declarationem ista forma adeo indirecta et ambigua ut per tria fere saecula DD. communissime intellexerint oppositum? Nonne, potius quam casus primum et secundum ita confundere in unica fraudis ratione, consultius fuisset simpliciter respondere negando utriusque quaesiti suppositum, posse nempe mutatione territorii virtutem evitari legis *personalis*, quia mens Pontificis erat ut in posterum lex tridentina ossibus peregrinorum adhaereret. Ita sane lis fuisset uno verbo finita dum nunc ut finiatur post tria saecula ancipitis intellectionis, adhuc prope infinitis Doctorum elucubrationibus indigemus.

At 2° alteram rationem urgent: adeo certa evasit in praxi Curiae sententia legem trident. sensu praedicto esse personalem ut in compluribus declarationibus nullitatis matrimonii fuerit adoptata.

Verum aequivocatio latens heic aperienda: notum est Congregationem Concilii plerumque sententiis suis *conclusionem* quidem causae partibus indicere, motivum vero sive conclusionum *praemissas* reticere: studiosis deinde peritisque in iure et theologia labor satis arduus incumbit ex consultorum, advocatorum, defensorum vinculi prolixissimis saepe dissertationibus veras legitimasque reperire praemissas. Ex altera vero parte non raro contingit ex duobus vel pluribus disparatis argumentationibus, alio nempe et alio medio termino, alia et alia via in eamdem deveniri conclusionem.

Quo posito, ut possit quis necessitatem unius viae prae altera possibili arguere ex S. Congregationis decisionibus, opus esset ut de motivo etiam earum decisivo ipsi constaret. Verum num reapse in praesenti constat motivum illarum decisionum quae allegantur fuisse illud quod assumunt? Id saltem probari deberet nedum affirmari.

Num ergo probatum est a recentioribus? Quidquid sit de hoc ex parte istorum, nobis, ni fallimur, altera via praesto esse videtur qua S. Congregationem ad decisiones illas perductam esse forte non incongrue aut inepte autumamus. Haec itaque via restat breviter explicanda.

III.

Qua ratione recentiores SS. CC. decisiones explicari in specie possint.

Iam septemdecim ante annos in praesenti quaestione Card. D'Annibale, variis causis allegatis in quibus S. Congr. Conc. videbatur fraudem admisisse tamquam nullitatis coniugii rationem ubi tamen fraudulentum abfuerat consilium, ita prosequebatur: « Nisi quis dicere malit haec forte ex praesumptione iuris et de iure ad forum externum pertinere (V. C. 44 de S. E.) quod ego forte primus dicere profecto non ausim (1) ». Scilicet quemadmodum per tot saecula in iure viguit, quod aetate nostra Leo XIII. sapientissime censuit abrogandum (2), ut sponsi post inita sponsalia si commiscuissent (in loco a lege tridentina exempto), matrimonium per id contraxisse viderentur praesumptione iuris et de iure, nisi aliud constaret evidentissime: ita peregrinantibus e loco ubi nuptiae clandestinae non valent in locum ubi etsi valent, illicitae tamen usque sunt, suspicio fundata inuritur fraudulenti animi contra legem in suscepta transmigratione, nisi evidentissime probaverint animum sibi affuisse contrarium: quod si idcirco in ea probatione defecerint ex prae-

(1) Summ. ed. 2, III, 327 (43).
(2) Leo XIII Decret. *Consensus mutuus* 15 feb. 1892.

sumptione iuris et de iure nuptiae invalidae fuisse retinentur in foro externo. Ita quoad sensum D'Annibale.

Verum comparari nequit matrimonialis consensus convalidatio a iure facta cum matrimonii occulto vitio irriti solutione: haec, iuxta notum iuris principium (Caelest. III *in C. 5. de eo qui cognovit.* — Innoc. III. *c. Licet 47 De Testib.*) nequit ab Ecclesia decerni nisi ex plena et perfecta probatione; dum illa si quid vel in probatione iuridica defecerit vel in aliis de iure humano requisitis, saepe poterit ab Ecclesia suppleri (1). — Praeterea dato etiam quod praesumptiones faciant plenam et legitimam probationem ubi de animo et intentione operantis agatur, alterum tamen heic superest discrimen; in casu enim matrimonii illius praesumpti, copula de qua constare debebat inter sponsos, praebebat fundamentum praesumendi *bonam* (vel minus malam) affuisse voluntatem affectus maritalis in ea admittenda; dum in altero casu factum clandestinae initi coniugii deberet praebere fundamentum praesumendi voluntatem *malam* et dolosam affuisse. Atvero *nemo praesumitur malus donec probetur*, uti solemne in iure est.

Relicta igitur hac via allegatas explicandi decisiones, magis forte placet ut dicatur aliud in illis adiunctis esse obiectum praesumptionis iuris et de iure: scilicet hanc non quidem in animum fraudulentum cadere intentionemve *operantis* sed in factum *non exclusae fraudis in legem*, quae iam per se finis est illius positi *operis*. Quam fraudem, nisi evidentissime constiterit positivo alio fine fuisse omnino exclusam et impeditam,

(1) Huius rei exemplum habes in modo quo solvitur difficultas orta ex eo quod forte sponsi revera affectum maritalem non habuerint in illa carnis commixtione idque non potuerint probare. Cf. Baller. op. mor. ed 2. vol. VI. pag. 103. n. 247.

ipsum factum matrimonii clandestine contracti continet in legem atque involvit in virtute responsi Urbani ad primum ipsum quaesitum: praesumptio sane ista iuris et de iure quod finis iste operis, fraus scilicet in legem non fuerit positive impedita, est minimum quod potest intelligi ab Urbano VIII. in illo responso sancitum. Aliunde ista omissio est quidem quid obiective malum et contra legem sed non necessario subiectivum et formale peccatum, insuper in facto ipsa consistit ideoque facilius quam intentio, praesumptionibus et coniecturis probari poterit. Alioqui satis probata erit si ostensum fuerit finem contrarium positive impedientem fraudem non evidentissime a defensore vinculi fuisse demonstratum: hac enim aliquatenus deficiente demonstratione, iam ex solo facto clandestini coniugii fraus in legem adesse praesumitur, quam Urbani responsum ad eius invaliditatem exigit.

Ex parte adversa defensori vinculi evidentissime demonstrandum esset partes quoad clandestinitatem vel non clandestinitatem matrimonii fuisse omnino *indifferentes*, illamque tantum *consequenter* ad suum in loco exempto transitum, veluti permissive admisisse; nullatenus vero *voluisse* eam sive in se, sive in alio in quo ipsa *per se* continebatur atque ad quod ipsa conferebat. Si itaque ista evidentissime demonstrari a vinculi defensore potuerint, praesumptio illa cedere debebit veritati. (Recole quae de hac praesumptione iuris et de iure docent canonistae, v. g. L. Ferraris v. *Praesumptio n. 10, 11*).

Quod autem iure possimus ita intelligere decretum Urbani, tribuendo ei non absolutam et universalem actus prohibitionem et annullationem uti velient recentiores citati ab initio, sed limitatam solummodo ad casum quo fraus in legem non fuerit impedita: id habemus ex duobus:

1m est ipsa possibilitas istius interpretationis quae per se spectata videtur regulis iuris omnino cohaerere: alterum consequenter est quod eo ipso fit dubia neque exclusive vera interpretatio illa recentiorum: porro si ita est valet in casu regula 30 iuris in 6: *in obscuris minimum est sequendum.*

Idem videtur confirmari responso S. Congr. de Propaganda fide 7 iulii 1670, ad Episcop. Heliopolitanum qui sub n. 3 quaesierat: An qui in propria parochia Concilii decretum circa matrimonium audivit, possit in aliis locis in quibus non est publicatum decretum sine parocho matrimonium contrahere. Porro S. Congr. respondit: ad 3. licere iuxta decretum eiusd. S. C. Concilii, modo non fiat in fraudem.

At enim vero in omnibus et singulis causis quae a recentioribus in contrarium allegari possunt, veriticatur, ni fallimur, illam indifferentiam, illum alium omnino positivum intentum quo finis excluderetur *operis* in legis fraudem, non tantum non fuisse probatum sed potius probatum fuisse oppositum: ita v. g. in famosa illa causa Parisiensi Alberti et Armandae 25 ian. 1873, dum Armanda intentione *operantis* Neoeboracum devenerat *ut* ibi clandestine et libere posset matrimonium religiosum inire, ipsa Albertum seduxit ad consentiendum in idem clandestinum coniugium tamquam in finem *operis* quod erat fraus contra legem. — In causa Gratianopolitana 3 aprilis 1841 partes ex fine *operantis* intenderant effugere impedimenta quae parentes opposuissent ex dispositionibus legis civilis illius regionis: ad hunc consequendum finem, medium *per se aptum* occurrebat, *ut scilicet matrimonium iniretur* in regione ubi validum est absque parochi concursu: nam in sua patria ideo uniri non poterant quia parochus nolebat concursum praestare suum ob

parentum oppositionem in lege civili fundatam. Medium itaque hoc per se aptum eligunt, ideoque non permissive tantum sed per se et directe clandestinitatem requirunt in alium quidem finem, sed in quem ipsa per se ducebat.

Idem occurrit in alia causa, 16 iunii 1866 et in responso S. Congr. S. O. 22 aprilis 1858. In alia apud idem S. Off. 17 Maii 1804 resoluta, finis operantis erat ut matrimonium coram parocho consanguineo iniretur : at medium aptum et facile erat veniam petere proprii parochi : hoc igitur neglecto, eo ipso clandestinitas quam debuissent et potuissent evitare, ipsis merito imputatur tamquam implicite et indirecte volita, nedum permissa solum.

Neque, quod sciamus, alia allegantur. Ultima tamen difficultas urgeri posset contra allatam a nobis explicationem, quod scilicet in Epist. S. Officii 7 iunii 1867 (1) dicatur « fraudem, si qua intercesserit, **purgari omnino** deberi » per susceptionem domicilii vel quasi domicilii in loco illo exempto. Ergo, arguet quispiam, non potest purgari per demonstrationem alterius oppositi finis, uti somniaris tu. Obvia tamen est responsio : casus spectatus ab epistola est casus fraudis ex intentione operantis in legem, uti evidenter patet legenti eius initium et deinde verba allegata. Casus e contra in quo admittitur a nobis evidentissima contrarii finis probatio, est casus in quo non revera fraus legis a parte rei adfuit sed eius

(1) « luxta ea quae in hoc decreto (Urbani VIII) sanciuntur, qui domicilium habent et retinent in loco ubi Trid. lex viget, nequeunt valide matrimonium inire in loco ubi non viget, nisi ibi nedum habitationem sed etiam vere domicilium fixerint, quo fraudem. si qua intercessit, purgare omnino debeant. » Alluditur nempe hic ad tertium Urbani responsum et medium unicum proponitur quo matrimonium clandestinum valere possit etiamsi sponsi transiverint ad locum exemptum *eo animo* ut legem tridentinam effugiant, sicuti exprimitur in secundo Archiepiscopi Colon. quaesito.

suspicio tantum, quae purgari debeat. Idcirco ex hypothesi evidenter supposita in epistola, verbum illud *purgare* in ipsa non debet intelligi sensu illo quo nunc adhibitum a nobis est *demonstrandi suspicionis inanitatem*, sed alio sensu, nempe *corrigendi fraudem admissam.*

Quae cum ita sint, annon iure meritoque concludere licet mentem Urbani VIII. in authentica illa sua concilii tridentini applicatione fuisse non quidem ut simpliciter et absolute personalem efficeret legem istam irritationis *quin ullam probationis contrariae exceptionem admitteret;* sed in casu quo fraus contra legem, quae in ipso clandestinitatis admisso facto extra territorium Concilio subiectum semper inesse praesumitur, fuerit evidentissima contrarii finis probatione omnino eliminata : in isto casu, inquam, Urbanum voluisse ut praesumptio cederet veritati. Inde media via inter recentiorum antiquiorumque adversas partes procedendo ad metam forte pertingemus veritatis in iure atque in S. Congregationum praxi agnoscendae. Qua de re iudicet nunc aequus eruditusque lector.

A. M. D. G.

Imprimatur, si iis ad quos pertinet ita videbitur.

Romae, 15 octobris 1900.

F. M. Carini S. I.
Praepositus Provinciae Romanae

Imprimatur: Albertus Lepidi, O. P. S. P. Ap. Magister.

Imprimatur: Josephus Ceppetelli, Arch. Myren. Vicesg.

BIBLIOTHECA ROMANAE EPHEMERIDIS

ANALECTA ECCLESIASTICA

N. I. — Brevis notitia et Catalogus Archivi Sacrae Congregationis Caeremonialis, cura R. D. Gregorii Palmieri O. S. B., alterius penes Vaticanum Archivum Custodis. — **2 fr.**

N. II. — Casus de ectopicis seu de extrauterinis conceptibus. Auctore A. Eschbach Sem. Gallici in Urbe Rectore. — **1 fr.**

N. III. — An benedictio in Articulo mortis pluries possit impertiri. Auctore B. Melata. — **1 fr.**

N. IV. — 1° An lucratus indulgentiam possit eam, ex arbitrio in alterum conferre. Auctore D. Palmieri S. I. — 2° An Missa et indulgentia altaris privilegiati separari possint. Auctore B. Melata. — **1 fr.**

N. V. — De Rituum relatione juridica ad invicem. Auctore Aug. Arndt S. I. — **1 fr. 25.**

N. VI. — Casus Conscientiae propositi et soluti Romae ad Sanctum Apollinarem n. 1: **1 fr. 25**; n. 2. **1 fr. 25**; n. 3: **1 fr. 25**; n. 4: **1 fr. 25**; n. 5: **1 fr. 25.**

N. VII. — De Spiritus Sancti a Filio Processione, historica disquisitio. Auctore Alex. M. Lépicier O. S. M. — **1 fr.**

N. VIII. — De Indulgentiarum valore Disquisitio Theologica. Auct. Alex. M. Lépicier O. S. M. — **1 fr.**

N. IX. — Casus de feminea impotentia, discussus ac solutus. Auct. A. Eschbach. — **fr. 0,75.**

N. X. — De Sacramentalibus. Disquisitio Scholastico Dogmatica Auct. G. Arendt e S. I. — **fr. 5.**

ANALECTA ECCLESIASTICA

SEU

ROMANA COLLECTANEA

DE DISCIPLINIS SPECULATIVIS ET PRACTICIS

CIRCA

Theologiam - Ius Canonicum - Administrationem in Foro Contentioso et gratioso - Sacram Liturgiam - Historiam - etc.

MODERATOR

FELIX CADENE Antistes Urbanus

SCRIPTORES

PLURES NUMERANTUR DOCTRINAE COPIA ET NOMINIS CLARITUDINE ILLUSTRES

Pretium adsociationis, lib. **25**

ADMINISTRATIO ET DIRECTIO

Romae

Singula volumina, annorum videlicet 1893, 94, 95, 96, 97, 98, 99, tradenda offeruntur novis adsociatis pro imminuto pretio lib. 20, si directe apud Moderatorem requirantur.

Haec Romana Ephemeris jam ab anno 1893 loco succrevit alterius Ephemeridis *Analecta Juris Pontificii*, cuius ultimus fasciculus in lucem prodierat sub Maii mense 1891. Quid sibi velit, audi:

In 1ª parte, *Analecta Nova*, traduntur omnia recentiora documenta quae, sive a Summo Pontifice, sive a Romanis Congregationibus, sive ab aliis Ecclesiasticis Dicasteriis promulgantur;

In 2ª parte, *Analecta Vetera*, exponuntur ea vetustiora documenta, nondum in lucem edita, quae Ius Canonicum, Sacram Theologiam etc., illustrare possunt;

In 3ª parte, *Analecta Varia*, *a*) exarantur dissertationes a doctissimis Consultoribus, professoribusque Urbis opportune redactae; *b*) exponuntur solutiones Casuum Conscientiae, necnon et Casuum Liturgicorum qui in Urbe ventilantur; *c*) traduntur quae in Curia Romana quotidie fiunt; *d*) fit librorum recensio.

Haec Collectio privata omnino est, sicuti caeterae omnes huiuscemodi generis. Sed quaecumque tradit, e legitimis fontibus haurit, eaque ex Magistri Sacri Palatii *Imprimatur* cohonestat. Qui plura scire cupierit, cum Moderatore verbum faciat, qui sollicite morem gerere haud detrectabit.

52903